

Chirurg.  
211,46

Fig. 1.



Fig. 2.



Fig. 3.



Schmidt fecit Brunsviga

5000

DE  
TVMORE CAPITIS FVNGOSO  
POST CARIEM CRANII  
EXORTO

CONSENSV GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS  
PRAESIDE

IO. FRIDERICO CRELLIO D.

ANATOMIAE PHYSIOLOGIAE ET PHARMACIAE P. P. O.

ACAD. IMP. NAT. CVR. SOCIO

ORD. MED. H. T. DECANO

SPECTABILI

DOMINO PATRONO PRAECEPTORE  
AC PROMOTORE

NON SATIS VENERANDO

DIE VI. DECEMBRIS A. R. S. MDCCXLIII.

HORIS ANTE ET POST MERIDIEM SVETIS  
IN IVLEO MAIORI

PRO GRADV DOCTORIS

DISPVTABIT

AVGTOR ET RESPONDENS

IOANNES PHILIPPVS KAVFMANN

LVNEBVRGENSIS.

---

HELMSTADII

APVD PAVLVM DIETERICVM SCHNORRIVM  
ACADEMIAE TYPOG.

Disf. chirurg.

530





uanquam ossa partes corporis hu-  
mani sint fortissimæ ac robustis-  
simæ, reliquisque quibus illud ef-  
formatum est pro fundamento  
ac fulcro inseruiant, adeoque in-  
juriis, quibus partes molliores ob-  
noxix sunt, facilius resistere inte-  
gritatemque suam conseruare posse videantur, attamen nec ea a variis calamitatibus & afflictionibus immunia permanere teste experientia docemur. Mittimus in præsentem eas ossium ægri-  
tudes, quæ ipsis a vi externa, substantiam eorum diffringente & contundente, aut connexionem cum aliis turbante, imminere solent. Graues hæ utique, & molestæ admodum sunt, tamen apta peritæ manus repositione & deligatione facilius sanantur. Nec iam varii generis tumores, qui passim circa ossa observantur, & maiorem jam dum in structura illorum interiore corruptio-

A

ruptio-

ruptionem testantur, prolixè commemorabimus: siquidem de his ex instituto in erudita Dissertatione anno 1741 in hac alma sub præsid. Illustr. HEISTERI nostri habita egit Clar. D. D. GOECKELIVS, ad quam plura de his doceri cupientem ablegamus. Illud tamen morborum genus silentio præterire non possumus, quod caries ossium in scholis medicorum appellari solet; hanc enim omnium læsionum esse maximam ac grauissimam, quæ si latius serpat, omnem sæpius medentium eludit operam, nec nisi tristissima membrorum extirpatione subinde tolli potest, scriptorum fide, & experientiæ suffragio, & rationis autoritate constare arbitramur. Inter has vero ossium afflictiones, quæ unicuique quidem ex eorum familia inimicæ ac perniciosæ sunt, nulla mihi ferocior nulla acerbior, magisque funesta videtur, quam quæ ossa cranii, quæ cerebrum animæ sedem ac domicilium cingunt ac muniunt, contaminare ac exulcerare solet. Et licet non ignota sint exempla eorum qui a carie cranii vindicati & integræ sanitati restituti sunt, ea tamen vel ad mitiores cariei gradus pertinere, vel eorum sanationem sæpius singulari naturæ robori in acceptis ferendam esse censeo, cum grauiori quidem valentissima etiam corpora succumbere cogantur. In cuius rei testimonium ad illum casum provocamus, quem circa initium præterlapsæ ætatis hic observavimus, qui multa sane admiratione digna præbuit phænomena, ut paucos huic similes in practicorum observationibus relatos esse recordemur. Quam ob rem, cum studiis in  
Aca-

Academiis ad finem fere perductis, mihi lauream doctoralem ambienti specimen qualiscunque doctrinae medicae typis exhibendum sit, huius potissimum explicationem Benevolo Lectori exhibere consultum visum est: cum imprimis Ill. HEISTERVS cranium illud, quod in instructissimo suo rariorum anatomicorum & chirurgicorum musæo asservat, pro singulari sua in me benevolentia mecum communicauerit, utque illud æri incidi curarem humanissime permiserit. Quod si in expositione gravissimi huius casus non ubique lectorum expectationi satisfecero, ut primos hosce meos conatus benigna excipiant censura enixe rogo.

### CASVS.

**V**ir procerioris staturæ atque habitus corporis athletici, Potentissimi Regis Borussiae militiae adscriptus, triginta circiter & quatuor annos habens, non minus strenuus in castris Veneris miles, inde etiam consueta huius militiae præmia retulerat, cumque mala inde percepta aliquantum sopita potius quam penitus e corpore sublata essent, tandem fatalem illum morbum, quo e vivis sublatus est, contraxerat. Siquidem corpore impuris succis scatente castra sequi tenebatur, in quibus, præter victus inevitabilem ataxiam variasque aëris injurias ac vicissitudines, sæpius in locis udis ac paludosis requiescere, somnumque capere coactus fuit, corpore & imprimis capite non satis semper tecto atque munito. Vnde factum, ut tumorem in latere capitis sinistro perciperet, initio

vix nucem juglandem magnitudine excedentem, at temporis progressu tantam in molem excrescentem, vt non tantum os bregmatis finistrum fere totum, sed & partem ossis bregmatis dextri, vltra futuram sagittalem occuparet, pugnique magnitudinem æquaret, cūjus faciem prout exterius apparebat Fig. I. repræsentare studuimus. Licet æger nullum præter gravativum quendam capitis sub initium sentiret dolorem, tamen pejora metuens, medelam crescentis in dies mali circumspicere cœpit, cumque Medici & Chirurgi castrenses, post varia incassum tentata, infausta quæque ominarentur, & tristissima eum defererent prognosi, Helmstadium nostrum, eiusque decus immortalale, Ill. D. Consiliar. Aul. HEISTERVM, Patronum Hospitem & Præceptorem meum ad urnam vsque colendum adibat, ejusque non tantum consilium sed & auxilium si possibile foret implorabat. Hic re uti solet curatius explorata atque perpensa, dum tumor perquam durus ac immobilis fere erat, atque alios fere similes jam alias scalpello curaverat, nullam aliam præter operationem manualement superesse opem pronuntiavit, nec tamen certum ipsi polliceri posse auxilium, dum, quam profunde descendat, & quomodo forte cranium imo ipsum cerebrum læserit, perspici non posset, præsertim cum jam sæpius sensus sibi haud leviter turbari conquestus fuerit, sed casum hunc esse ejusmodi, de quibus Celsus scripsit, melius esse experiri remedium anceps, quam nullum. Cum itaque ægrotus recuperandæ valetudinis desiderio ad subeundam eam animum confirmasset,



masset, præparato convenientibus remediis corpore horis matutinis frustulum lapidis caustici, quo Ill. D. HEISTERVS sæpius ad omnis generis tumores aperiendos utitur, qui ex calce viva & sale alcalino paratus erat, ad aperiendum & hunc tumorem imponebatur. Verum enim vero tribus vix elapsis horis largum, ut videbatur ex vasis cutis sanguiferis, insequabatur cruoris profluvium, quod tamen cum linamentis & spiritu vini rectificatissimo superimpositis rursus compesceretur, aeger bene se habebat, & vires admodum constabant. Circa vesperam ejusdem diei tumore a fasciis spleniis ac emplastro, quod causticum suis coercebat limitibus, denudato, & quantum circumstantiæ postulabant dilatato, ob hæmorrhagiam iterum mox deligabatur. Vincitura satis iterum firmata nihil equidem incommodi sentiebat, hinc nimis audax in eo haud levem aeger admittebat errorem, quod corpus, inscio & invito suo medico, externo frigidiusculo nimium exposuerit aeri, & per binas integras horas in area domus, rudibus tunc temporis ventis undique pervia, steterit atque ambulaverit; unde factum, ut brevi post horrore ac postea membrorum omnium lassitudine, extremarum partium horripilatione, motuque contremiscente, postque aliquot horas aestu ac pulsu febrili, sudore deinde largo per univrsum corpus prorumpente corriperetur, quæ febris, ordinatis licet convenientibus remediis, illum per totum morbi decursum non deserebat. Postridie cum Ill. D. HEISTERVS, comitantibus ipsum compluribus

bus Medicinæ studiosis, quibus & ego semper interfui, ægrotum renovandæ deligationis causa visitaret, novus apparebat tumor inflammatorius, qui totum os frontis lateris finistri vsque ad oculi finistri palpebram occupabat, cui discutiendo accommodatum epithema imponebatur; antiquo vero tumori, ex quo remotis fasciis ichor cruentus effluebat, vnguentum ex terebinthina & melle rosarum applicabatur, interim vires frangebantur, & cum inquieta corporis jactatione etiam delirium, quod, non obstantibus remediis præstantissimis, augebatur, accedebat. Cum sequenti die accederemus, ægrotum oculis clausis & labiis lividis moribundo similem deprehendebamus, vt non nisi difficulter ad novam excitari posset deligationem. Qua peracta, aliquamdiu post, convulsionem vtriusque pedis accedebant, tandemque circa meridiem viribus penitus fractis miseram mortali-um cum vita feliciori commutabat. Cadaver postea ab Excell. Dom. PRAESIDE dissectum sequentia obtulit phænomena: Integumentis capitis studiose separatis in conspectum veniebat tumor fungosus, ex rubro nigrescens, ex ipso cavo cranii perforati emergens; eo enim ope cultri anatomici exterius remoto cranii subjecta pars fœda carie exesa ac consumpta apparebat. Cujus veram constitutionem figura secunda & tertia a parte cranii exteriori & interiori exhibui. Totum os bregmatis finistrum vsque ad illum locum, vbi musculus temporalis eidem adhæret, asperum, porosum, & in minutas squamulas inordinato tractu reptantes, interjectis foraminulis refo-

resolutum, ita vt super coronalem etiam futuram cariosa illa erosio versus ossis frontis dexterio- rem partem excurreret, & ad dextrum etiam os parietale trium digitorum latitudine spargeretur, in medio hiatus ingens, cuius diameter tres pollices magni- tudine æquabat, conspicuus erat, vt tota illa portio ossis bregmatis consumpta, futura sagittalis deleta, & pars aliqua dextri etiam ossis ablata esset, tota peri- pheria hujus foraminis inæqualis & prominen- tiis acutis, aliis longioribus, aliis minoribus, ex- sperata erat. Digiti circiter transversi, ab hoc ma- jori, distantia, aliud minus foramen immediate supra lambdoideam futuram in sinistro bregmatis osse comparebat, pollicis circiter latitudine, vbi tamen lamina interior nondum penitus consumpta erat. Par- te cranii superiori ablata in interna lamina latius ad- huc proserpsisse cariem cernere licebat, vt non solum hiatus ille magnus interius latiore peripheriam oc- cuparet, superstite vndiquaque in margine ad digiti latitudinem exteriori lamina, sed etiam erosio il- la morbida versus magnam partem ossis frontis, eo loco vbi processus falciformis duræ matris adhæret, excurreret, & ad latera quoque profundius quam in superiori tabula descenderet. Cranio itaque remoto, fungosam illam excrecentiam e dura matre ipsoque cerebro vitiato enatam esse manifestius patebat, cu- jus parte superiori horizontaliter resecta, ventricu- lum superiorem lateris sinistri ichore corrupto ni- gricante repletum, substantiam ejus inflammata ac sphacelatam, ac inferiorem etiam medullarem par- tem

tem ad basin fere cranii vsque e regione offis petrosi consumtam, plexum etiam choroideum affectum, sicque ad tertium ventriculum malum propagatum cernebatur. Etsi vero ex his sedes mali mortisque causa satis appareret, tamen in adstantium gratiam thorax etiam & abdomen aperiebantur, in quibus pleraque viscera sana reperiebantur, nisi quod lobus dexter pulmonum pleuræ & inferius diaphragmati, sinister pericardio & diaphragmati valide adhæreret, substantia, hinc inde tuberculis scirrhosis repleta; etsi nunquam de difficili respiratione conquestum esse constaret. In abdomine hepar in molem insignem excreverat, & pluribus quam consueto more locis cohærebat, omentum etiam inferius juxta pelvim cum utroque peritonæi latere & colo adjacente adeo firmiter concreverat, ut in latere dextro arcum coli multum deorsum traxerit, alterique ejus portioni veluti alligaverit: quæ dissertationem Excellentissimi D. PRAESIDIS, de viscerum nexibus insolitis, iisdem diebus propositam, egregie illustrabant atque confirmabant.

### §. I.

Ossa corporis humani, etsi firmiore fibrarum suarum arctissime sibi applicatarum cohæsiōne omnem fere vasorum accessum arcere, adeoque a læsionibus etiam, quæ a fluidorum corruptione in partibus mollioribus excitari solent, immunia esse primo intuitu videantur, accuratius tamen considerata, pluribus abundare vasibus, vitalem laticem ad nutritionem

tionem eorum afferentibus reperiuntur. Perioftium enim, fenfiffima illa membrana, eadem non folum cingit, fed fibras etiam intra eorum fubftantiam immittit, quæ nihil aliud, nifi fubtiliffimæ vasculorum, quibus ipfum abundat, propagines effe videntur, quæ non folum, per omnem eorum fubftantiam difperfæ, materiam nutritiam apponunt, fed & fubtile ibidem oleum lubricandis iisdem neceffarium fecernunt, & pro diverfa eorum fabrica, nunc in offibus extremitatum cylindricis in cavitates interiores fub nomine medullæ recondunt, nunc in fpongiofis offibus intra cellulas eorum deponunt, in cranii vero offibus ad diploen utriusque illorum laminæ interjectam convehunt. Quamdiu itaque vitalis humorum circuitus per hæc vafa viget, integritas ipforum offium conſervatur, eademque colore fuo ex albo cœruleſcente, ſuperficieque æquali & polita, fanitatis notam præ ſe ferunt.

## §. II.

Quamprimum vero ſanguinis lymphæque ad hæc loca accessus intercipitur, vel progressus per eadem impeditur, omnia illa mala, quæ in partibus corporis noſtri reliquis ab obſturbatione, ſtagnatione, inflammatione, aliaque humorum corruptione excitari ſolent, in offibus etiam metuenda ſunt, tanto majori cum periculo, quo magis illa in abſcondito latent, adeoque tam internorum quam externorum remediorum ad partem adfectam adplicationem, indeque ſperandam reſtitutionem, difficiliorem reddunt:

B

dunt:

dunt: unde brevi ipsius ossis corruptio sequitur, quod proinde colorem suum naturalem amittit, & sub initio pallide albicantem, mox flavum, denique nigrescentem adsumit, superficies illius aspera & in æqualis apparet, denique vero substantia ejus friabilis redditur, penitusque exeditur, & in foetidum ichorem colliquatur.

## §. III.

Facile patet, hanc ossium læsionem nunc ab injuriis externis, nunc ab interna humorum dispositione originem suam ducere posse. Omnia enim vulnera, quæ ad ossa usque penetrant, simulque periostrium adficiunt, ejusque cum osse subjecto cohæsiōnem tollunt, in parte hac membrana nudata commercium vasorum tollunt, debitoque illam nutrimento privant, sicque partem ad citam necrosin disponunt, tanto certius secuturam, si pars ista ossis aperti aëris exterioris accessui exponatur, indeque vascula ejus constringantur, vel pinguibus aliisque vnguinosis obstruantur. Imo etiam in ejusmodi læsionibus, quæ clausis adhuc tegumentis externis ad periostrium penetrant, materiaque acri purulenta eo deposita illud corrumpunt, similis effectus vix evitari potest. In eo tamen hæc ossis, a periostrio ab externa violentia male adfecto, corruptio, si corpus ceteroquin sanum, humoresque blandi & euchymi fuerint, meliora sperare jubet, quod læsi separatio, deperditique restitutio facilius succedat: siquidem etsi vasa loco læso immediate substrata soluta fuerint, eadem tamen  
 succo

succo laudabili a vicinis suppeditato promte satis re-  
 generantur. Multiplex enim experientia docuit, ex  
 interioribus succrescentia vasa brevi iterum mem-  
 branam deficientem restituisse, sicque os ab vltorio-  
 re ejus corruptione præservasse, dummodo aëris ex-  
 terni frigus provide arceatur, vtpote qui tenera  
 illa vascula, a quorum integritate omnis sanationis  
 spes pendet, constringendo, ea ad transmittendos suc-  
 cos inepta reddit atque emortua; quod idem de pin-  
 guibus obseruatur, quæ poros subtilissimos obstru-  
 endo regenerationem impediunt. Quodsi etiam exte-  
 rior vna alteraue ossis lamina jamdum a caussis com-  
 memoratis corrupta fuerit, vt cum sanis amplius co-  
 hære nequeat, sed tanquam pars vita carens separari  
 debeat, hoc ejusdem naturæ beneficio fieri videmus:  
 siquidem vasa substrata adhuc integra sensim succre-  
 scentia superiorem a nexu cum reliquis dissoluunt,  
 atque separant, quod *exfoliationem* appellamus,  
 nouamque in illius locum restitunt, dummodo im-  
 pedimenta exterius remoueantur, & balsamicis con-  
 gruis vasa roboventur. Quodsi difficilius etiam tar-  
 diusue hæc corrupti a sano separatio succedat, si soli  
 naturæ relinquatur, ars illam promouere multis mo-  
 dis valebit: vt enim acriorum remediorum adplicatio-  
 nem nunc taceamus, vel solam terebrationem in plu-  
 ribus ossis adfecti punctis institutam vasorum supposi-  
 torum citiorem prouentum, sicque corrupti secessum  
 insigniter promouere compertum est, vt ad fortiora  
 illa remedia, quæ omnia ossa ferre non possunt, acce-  
 dere neesse non sit; siquidem alias in profundiori ossis

corruptione nunc lima vel scalprum rasorium, quibus pars mortua aufertur, donec ad sanum pervenisse color naturalis testatur, nunc cauteria eundem effectum præstitura, commendantur. De quorum adplicatione tanto minus prolixi erimus, quo luculentius hæc a præstantissimis nostri ævi Chirurgis exposita sunt, quos inter Celeberr. HEISTERI Chirurgiam P. I. L. V. C. VIII. plura de his scire cupienti commendamus. Illud tamen omnibus his modis obtinetur, vt sic pars illa, ab injuria externa destructa, a commercio cum sanis, quam primum fieri potest, remoueatur, atque in locum illius, ope laudabilium succorum a vasis suppositis atque vicinis allatorum, noua restituatur, suoque perioestio denuo obtecta externi etiam vulneris coalitum permittat. Quamdiu enim ossis corruptio aliqua adhuc superest, neque partium incumbentium consolidatio succedit, neque si etiam cicatrix aliqua obducatur, diu illæsa manebit; sed osse latius interea destructo, molles etiam partes inflammatione & ulcere mali moris denuo corripientur. Vnde etiam potissima hæc mendentium cura esse debet, vt si in eiusmodi læsionibus grauioribus signa aliqua ossis labe infecti compareant, atque accessus oculis manibusque ad sedem mali non pateat, eam in aprico, dilatato exteriori vulnere, sistant, ne dum illa intacta relinquitur, vltterius progrediendo immedicabile demum malum reddatur; quod notabili inter alia exemplo Celeb. SLEVOGTIVS Diff. de *Carie Cranii* Jen. 1695. habita confirmat, dum chirurgus læsionem cranii ab immaturo piro, ex alto

to



to in dextrum sinciput projecto, non obstantibus gra-  
uioribus symptomatibus tanquam læsionem solorum  
integumentorum tractauerat, & neque puri exitum  
procurauerat, neque os læsum detexerat, donec  
cranio secundum tractum totius futuræ sagittalis pe-  
nitus exeso, materia ad duram matrem delata ean-  
dem simul corruerit, miserumque ad mortem de-  
duxert.

§. IV.

Ex quo satis intelligitur, quanto deterioris con-  
ditionis illi censendi sint, quibus ejusmodi vitia ex  
prava humorum dispositione interna oboriuntur, si-  
quidem illa tacite sub initium radices agunt, neque  
ante facile manifesta sui indicia edunt, quam ma-  
gnam jamdum osium labem ægre reparandam in-  
dlexerint, neque etiam, si demum, exterioribus in  
consensum tractis, erumpant, promptam admittunt  
medelam, cum a vitiatis humoribus succus ille blan-  
dus, qui ad corruptas partes separandas, atque novas  
restaurandas adeo necessarius est, suppeditari neque-  
at. Sæpius autem proh dolor contingit, ut in corpo-  
ribus impuris, fluidorum visciditate atque acrimonia  
laborantibus, materia peccans circa ossa hæreat, at-  
que in subtilissimis vasculis, quæ partim intra laminas  
substantiam eorum constituentes decurrunt, partim  
ad medullam feruntur, stagnando inflammationes pes-  
simi generis excitet, siquidem ichor ex minus lauda-  
bili suppuratione generatus, cum nullum exitum in-  
veniat, quo diutius ibidem hæret, eo majorem acrimo-

niam contrahit, vicinas undique partes inficit, & medullae inprimis oleo junctus pessimam naturam induit. Vnde vel in tumores demum ad exteriora vergentes ossa elevat, nunc vehementissimo dolore spinæ ad instar infixæ molestos, quos *spinæ ventosæ* nomine propterea insigniverunt, nunc magis indolentes, *exostoseos* nomine venientes, vel latisime serpente carie omnem ossis substantiam depascit. Quicquid itaque naturales excretiones, quibus alias excrementitiæ partes e corpore proscribuntur, sufflammat, atque constricto inprimis corporis habitu, motum humorum ad interiora auctiorem reddit, periculosos ejusmodi in ossibus morbos metuere jubet: inprimis si humores jamdum a naturali temperie declinantes peccantis materiæ exitum in exterioribus partibus quæsierint, inde vero perverfis artificiis retropulsæ, aut aliis ex causis retrocedentes, acquisita deteriori indole ad penetralia corporis ruant.

## §. V.

Inprimis si venereo miasmate inquinati fuerint humores, illius vehementia sæpius tristes ejusmodi eventus in ossibus producere deprehensa est. Vti vero illud sæpissime impuro cum infectis commercio contrahitur, suamque vim sub initium potissimum circa partes, quibus conceptum est, exserit, partesque genitales varie inflammando atque rodendo primum se manifestat: ita exulcerata prostata, indeque per gonorrhœam facta puris excretionem, non facile latius serpit, quamdiu materiæ corruptæ  
eua-

euacuatio per has vias succedit, aut in proximas forte glandulas inguinales, mediantibus vasis lymphaticis cum genitalibus communicantes, deposita excitatis bubonibus exitum quærit. Si vero imprudenti, at nimis frequenter ab imperitis probato, consilio sine sufficienti correctione gonorrhoea præmature sistitur, aut bubones repellentibus dissipantur, intra vasareceptum virus totam humorum massam contaminat, viresque acquirit eundo, & non solum partes molliores ac glandulosas, inprimisque palati & faucium regiones occupat, pessimisque vlcibus depascit, sed demum etiam in ipsis ossibus figitur. Si enim vegeto satis humorum circuitu subtilior, at simul etiam acrior reddita fuerit, vt per reliquas laxiores partes sine adhæsione transire possit, maiorem tamen resistantiam in transitu suo per ossium vasa deprehendit, ibidemque sistitur. Vti vero extremitatum ossa maiora subinde occupat, ita frequenter admodum cranii ossa densiora petit, ibidemque excitatis gravissimis plerumque doloribus, noctu inprimis sævientibus, non solum vasa periostitii destruit, sed intra diploen illorum hærens longe lateque serpit, donec exesa utraque lamina corruptum liquamen partim ad exteriora effundit, & sic integumenta quoque lædit, partim ad duram matrem deponit, pessimisque symptomatibus eandem afficit. Quantum in ossibus cranii erodendis valeat venereum virus ex CHESELDENII splendida Osteographia inter alia discere possumus; in qua cum morbidorum etiam ossium varias deformationes

nes

nes exponat, Tab. XLI. XLII. tria crania exhibet, in quibus non solum substantia ossea late erosa, & inæqualis reddita sistitur, sed variis etiam locis utraque tabula consumpta cernitur, ut dura sub his mater in conspectum prodierit; insimulque notat, quod in una ægra, cujus cranium illa tabula exhibetur, nullum fere os sanum integrumque post mortem deprehensum sit, unde Tab. XLVIII. os femoris, tibiæ, fibulæ, humerique misere in eodem subjecto carie defœdata delineat.

### §. VI.

Eandem etiam funestæ, quæ nostræ objectum est dissertationis, cariei causam extitisse, ipsius ægri, dum viueret, relatio confirmabat, utpote qui nullius læsionis externæ, olim in loco adfecto acceptæ, memor, a qua prima stagnationis aut effusionis humorum indeque secutæ cariei origo repeti potuisset, lue tamen venerea, quæ gonorrhœa virulenta & bubonibus se manifestauerat, antea se laborasse confitebatur, quibus cohibitis & repulsis se ab omni vltiori periculo immunem esse credidisset. At vero non penitus infractam fuisse acrimoniam, sed effectus duntaxat in exterioribus perceptos suppressos, ipsamque labem ad interiora delatam esse tristis demum eventus docuit. Ille nihilominus de tam periculoso, quem intra sinum fovebat, hoste nimis securus, castra secutus aduersus hostes alios vadit, ibidemque omnibus injuriis, quæ expeditionem, hybernæ inprimis, comitantur, expositus, grauiora  
con-

contraxit mala. Siquidem a frigidiorē humidoque aëre, in quo dies noctesque degere, somnumque sæpe locis paludosis humi prostratus capere coactus fuit, omnem per habitum corporis expirationem, qua ceteroquin multæ impuritates e corpore proscribuntur, cohibitam, sicque constrictis exterioribus, ad nobiliores partes compulsos fuisse humores facile colligitur. Ipsis præterea grauioribus, quæ in itinere, vigiliis nocturnis, aliisque bellicis occupationibus militi subeundi sunt laboribus, vt alios forte in diæta commissos errores taciti prætereamus, humores vehementius commotos, indeque magis acres redditos, tanto majori impetu in vasis suis destruendis egisse, non obscurum esse potest; cumque per osium inprimis compactiorum substantiam trajiciendos humores maxima inuenire obstacula supra jam monitum sit, in cranii potissimum osibus sedem suam fixit, ibidemque late diffusam cariem induxit. Qua occasione illud mirum videri poterat, quod de vehementioribus doloribus illo tempore perceptis non conquestus fuerit, qui alias, acrimonia venerea hæc loca arrodente, noctu inprimis molesti, & fere intolerabiles esse solent; attamen cum hos eo potissimum tempore, quo calore lecti humores rarefacti ad locum adfectum ruunt, percipi constet, extra hunc minus atrociter sæuientes, hinc forte contigit, vt minus inter arma illis adflingeretur: vt taceamus insignem etiam subjectorum in ferendis doloribus diuersitatem, qua alii confirmatori habitu gaudentes vix ab iis adficiuntur, quæ delicatioribus non su-

C fti

stinenda videntur. Semel vero corrupto pericranio, sensu exquisitiori prædito, inde per ipsam ossis substantiam latius proserpens malum vix adeo insignem sæuitiæ suæ perceptionem excitabit. Sic itaque tacitis progressibus increscens malum, demum ad ipsas meninges perrexit, & prima tumoris fundamenta jecit.

§. VII.

Optimo sane consilio sibi prospexisset, si vel hoc novo phaenomeno commotus statim de convenienti medela sollicitus peritis rem aperuisset, neque, quod in his casibus sæpissime magno ægrorum damno fieri solet, parva hæc initia contempsisset. Spes enim erat, tunc non solum internis remediis humorum intemperiem corrigi, sicque ulteriorem mali progressum impediri potuisse; atque, licet his etiam corrupta ossis pars iterum emendari non potuisset, fonte mali integumentis remotis detecto demortuum a sano separari, & sic perditam restitui potuisse sanitatem non dubitamus. Siquidem plura apud Chirurgiæ Scriptores prostant exempla, quod insignes ossium etiam cranii partes carie corruptæ, si tempestive ad illa remouenda accesserint artifices, tam felici successu ablatae fuerint, ut novum deinde tegmen mollius sub initium, demum callosum redditum, succrescens ea ex voto consolidauerit. Memorabile inter alia exemplum Clariss. GOTHOFREDVS SAND Dissertatione, quam *de fungo cerebri feliciter exstirpato* conscripsit, & Regiomonti anno 1700. edidit, latioris cariei

cariei, ab inflammatione & pure sub cranio collecto inductæ, consignavit. Siquidem post cephalalgiam insignem, indeque ortum integumentorum capitis tumorem inflammatorium, cum abscessu, licet aperto, & quantum fieri posset mundato, vulnus ad coalitum perducere non posset, sed tenuis sanies profundius originem ducens ex eo promanaret, & immisso in orificium stilo, ad interiora malum tendere innotesceret, ac denudato osse, illud in concursu sagittalis non minus & coronalis futuræ asperum & scabrum deprehenderetur, adplicato trepano exemptum osficulum tota interiore lamina cariem passum, atque sub illo fungosa caro latius expansa cum pure erumpente cernerentur, aliam viam nullam superesse intelligebant medentes, quam ut tribus distinctis locis ossis sani partem trepano perforarent, & ferrulis minoribus interstitia foraminum modiolis factorum discinderent, atque elevatorio postea adplicato reliquas ossis partes eximerent, sicque omni carioso remoto, ipsam etiam inchoantem duræ matris in fungosam carnem mutationem convenientibus remediis tollere studerent; quibus ex voto succedentibus, facta marginum ossis desquamatione, post aliquod tempus interstitium illud nova carne sensim indurata replebatur, atque a capitis dolore & ab omni labe immunis diu superstes remanebat. Non minus elegantes, ac notata dignæ, de magna ossium cariosorum parte, pluribus trepanis feliciter excisa, observationes in Tomo I. Commentariorum Academiae Regiæ Parisiensis Chirurgicæ, qui hoc anno Parisiis prodiit, Dis-

fertatione *de cranio pluribus locis per trepanum aperiendo* pag. 262. sqq. occurrunt: siquidem in alio post tumorem in vertice apertum, pus foetidum admodum plorantem, caries palmae latitudine, cum foramine amplo in medio conspicuo inueniebatur, ad quam tollendam, cum alia remedia frustra tentata essent, ad trepanum confugiendum erat, quod octo distinctis locis in peripheria ossis cariosi, applicari debebat, ut illud totum auferri posset: in alio, qui simili tumore correptus erat, unde potissimum interior tabula latius quam externa exesa erat, ut ipsa etiam duræ matris & cerebri superficies, duorum digitorum latitudine, male affectæ essent, trepano variis in locis applicato, aliorumque instrumentorum apparatu, tantum de ossibus auferendum erat, ut hiatus, quinque pollices longus, quatuor latus, pateret; Nihilo minus in utroque, prægressa exfoliatione, magnum illud interstitium noua carne repletum, ægrosque, cicatrice integumentis inducta, perfecte sanatos dimissos esse memoratur. Qua occasione pag. 268. de modo, quo eiusmodi foramina, siue ampliora, siue minora, obturentur, disquiritur, & carnem illa replentem, postea in callum indurandam, nunc e dura matre exsurgere, & solam sufficere, nunc cum alia ex diploe ossis residui emergente jungi, sicque deperditum restitui notatur; Quam diversitatem CELSVS jamdum annotavit, dum Lib. VIII. c. 4. circa finem de calvæ consolidatione his verbis concludit: Si bene res cedit, incipit ab ipsa membrana, vel si os eo loco duplex est, inde quoque  
caro



caro increfcens, id, quod inter offa vacuum eft, replet. Quem vltimum modum pro maxime naturali atque perfectiffimo habemus, fi quidem cum illo, quo alia etiam offa, fibris e parte fana productis, regenerari nouimus, quemue etiam in partium mollium vulneribus consolidandis obtinere quotidie ceruimus, maxime conuenit: minimum illæ productio- nes, quæ a fola menynge enatæ, & cum integumen- tis externis iunctæ funt, tantam foliditatem vix nan- cifcentur, quanta ab offeo tegmine exspectari pote- rat, etfi ad defendendum aliqua ex parte cerebrum forte fufficiant.

#### §. VIII.

Verum enim vero, cum æger ne illo quidem tempore de tollendo malo follicitus effet, in pejus quotidie ruere, difficilioremque reddere medelam cœpit. Siquidem cum ichor ille, ex destructis diploes vafis generatus, nullum inueniret exitum, internam cranii tabulam, quam ob teneritatem, qua exter- nam multum fuperat, vitream adpellant, demum perrumpebat; hanc enim, vt in plerisque hujus ge- neris obferuationibus notatur, in nostro etiam casu citius latiusque exefam fuiffe, autopsia demto cranio euincebat, vti figura noftra tertia illud exprimere ftuduimus, & in recenfione casus fufius descripfimus. Supra duram vero menyngem depofita fanies, fibras e- jus arrodens, primam fungosæ protuberantiæ occasio- nem dedit, fi quidem, continuante in fuppositis vafis adhuc integris vitalium humorum adpulfu, læsæ qui- dem fibræ denuo fuccrefcunt, at fuperficie non debite

mundata in carnem ejusmodi luxuriantem attolluntur. Cum vero demum externa etiam ossis lamina exederetur, atque totum os latius in dies consumeretur, sicque tegmen illud osseum, quod substratas partes coercet, remoueretur, intra ipsum ossis hiatus menynx ascendebat, atque ab inæquali foraminis margine, protuberantibus hinc inde acutis festucis, perpetuo irritabatur, majorque sic humorum adfluxus concitatus largius etiam tumoris incrementum promouebat. Cum vero laxata sic tunica minus valide subjectum cerebrum constringeret, ipsius etiam substantia humorum, valida satis vi cordis eo adpellentium, impetui cedebat, & sensim in tumorem pariter fungosum adsurgebat.

#### §. IX.

Duplicis esse generis fungos post læsionem cranii emergentes, alios, qui duræ solum matri adhæreant, alios, qui ex ipsa cerebri substantia emergant, jam dum Wilhelm. Fabric. HILDANVS Observat. Chirurg. Cent. II. Obs. 36. notauit. Priores integra dura matre enascentes rarius, nisi adfluxus humorum supra modum magnus sit, adeo magnos fieri censet, vt extra vulnus promineant, faciliusque medelam admittere; posteriores vero, rupta dura menynge, promptius multo, eleuata pia matre, in altum adsurgere, atque extra oras vulneris protuberare, omniumque esse periculosissimos, atque vt plurimum lethales, monet. Ad priorum censum pertinuisse crediderim, fungum illum, de quo Cl.  
SAND-

SANDTIUS in Dissertatione superius commemorata egit, utpote quem duræ matris solum exteriori parti sub offe corrupto adhæsisse, neque adeo insignia incrementa cepisse, cerebrum vero sub illa integrum mansisse, adcuratius inspicienti patet; unde etiam detecta mali sede facilem satis medelam admisit, minus vero adcurate fungus cerebri in rubro adpellatus esse videtur. Neque vero folius etiam duræ matris fungos adeo arctis semper limitibus contineri, exemplum a Cel. IO. SALTZMANNO adnotatum docere poterit, quod magnam cum nostro analogiam præ se fert, nisi quod ab ictu externo prima ejus origo deducatur: illud non solum in Commentariis Acad. Scient. Petropolitanae Tom. III. pag. 275. ex ejus litteris excerptum breuiter commemoratur, sed fusius etiam in Actis Acad. Cæsar. Nat. Cur. Vol. II. Observat. C. ab eodem descriptum legitur. Tumor ille, os frontis & bregmatis lateris sinistri occupans, ad ovi gallinacei magnitudinem sub integumentis excreuerat, qui, ob concitatos vehementes dolores incisus, parum materiæ purulentæ fuderat, cumque portione ejus resecta, reliquias suppuratione, sub initium ex voto succedente, tollere studerent, undecimo tamen die, vomitu bilioso & deliriis correptus æger obierat, spemque medentium frustraerat. Impetrata sectione, in ipso cranio hiatus insignis magnitudine oui gallinacei patebat, interna tabula magis quam externa carie exesa erat, dura mater eo in loco in plicas corrugata & veluti callosa reperiēbatur, e qua caro fungosa enata, eique firmissime adnata esse videbatur.

batur: inter duram matrem & cranium latius expansa atque multum compressa, foramini firmiter impacta, & undique adhærens, ejus inæqualitates profunde subiit, vt cranium vi auellendum esset, tumorque fitum mutare non posset; de læsa vero substantia cerebri nihil additur, quod profecto ab accuratissimo anatomico, si quid in eo notatu dignum occurrisset, non fuisse omissum certo confidimus. Vt adeo injuria CELSUM, qui tale duræ matris incrementum præternaturale Lib. VIII. c. 4. commemorat, a Cl. GERARDO VAN SWIETEN accusari crediderim, ac si cerebri ipsius fungum pro duræ matris tumore perperam habuerit. Siquidem ordo propositorum satis evidenter ostendit, eum accurate de duræ matris vitiis a se observatis agere. Primo enim de inflammatione duræ matris his verbis tradit: *Si membrana per inflammationem intumuerit, infundenda erit rosa tepida.* Post subjicit: *Si usque eo tumebit, ut super ossa quoque emineat, coercebit eam bene trita lenticula, vel folia vitis contrita, & cum recenti vel butyro vel adipe anserino mixta;* Atque his statim annectit: *At, si parum pura membrana videbitur, par modus ejus emplastri & mellis miscendus erit.* Tales vero tumores neutiquam inter mera figmenta referendos, sed duræ matris fungos potius accurate ab iis, qui cerebri substantiam occupant, distinguendos esse, vel ea exempla quæ, hoc paragrapho adduximus, evincere possunt; vnde potius ab aliis autoribus subinde minus accurate indagatos falso nomine pro cerebri fungis descriptos, sicque rariorem priorum mentionem factam esse censeo.

§. X.

§. X.

De ipsius cerebri fungis recte quidem modo laudatus Cl. VAN SWIETEN T. I. *Commentarii in BOERHAAVII Aphorismos de cognoscendis & curandis morbis* p. 439. & 484. monet, quamdiu dura mater adhuc integra sit, raro ipsius cerebri fungos enasci, siquidem firma hæc membrana sat arcte constringat suppositam cerebri substantiam, hæc vero demum soluta vasa cerebri, hic tunicis elasticis destituta, fluidis, valida cordis contractione eo propulsis, minus resistere posse, adeoque quam maxime dilatari, & in miros illos tumores eleuari. Interim nec hoc in uniuersum obtinere insigne inter alia exemplum, in supra citatis *Commentariis Acad. Chirurg. Paris.* p. 227. relatum, confirmat. Cum enim ægra acerbis per plures annos capitis doloribus vexata, adhito frustra trepano, vbi nulli sub cranio effusi humores, nulla menyngis corruptio, præter maiorem ejus tensionem comparebat, hujus etiam incisio nullum leuamen afferebat, tandem obiret, post sectionem cranio ablato tres cerebri funghi in conspectum venerunt, e substantia ejus corticali enati, duræque matri adhærentes, quæ illo loco admodum crassa inueniebatur, os vero superimpositum ita attenuatum erat, ut vix folium chartæ, qua ad scribendum utimur, crassitie æquaret. Ex quo satis apparet, tantum interdum esse humorum impetum, vt non molli solum cerebri substantia, sed superincumbens etiam membrana, imo os ipsum cedere, etsi non sine insigni dolorum exacerbatione, cogatur. Multo

D

igi-

igitur facilius continget, si parte caluariae cariosa corruptione ablata, menynx, eo loco a pressione libera, relaxata, atque intra hiatum propulsa fuerit, vt aliqua naturali major expansio, ob imminutam duræ matris constrictionem, in ipso etiam cerebro insequatur; etsi illam multo celerius diffundi facile largiamur, si, prorsus aperta menynge, nullum plane obstaculum humores vasa debilia dilatantes inueniunt. A subito enim incremento, vna cum texturæ laxæ & spongiosæ similitudine, fungorum nomen his tumoribus adhæsisse facile conuicimus. Mira satis ejusmodi tumorum celerrime incrementum exempla HILDANVS in suis obseruationibus nobis exhibet: non solum enim Cent. I. Obseru. 15. pueri quatuordecim annorum meminit, in quo, post cranii fracturam & meningis dilacerationem, exortus sit e vulnere fungus, qui intra viginti quatuor horas ita excreverit, ut magnitudine ovi gallinacei extra cranium emerit, qui tamen ab ipso fomentis & pulveribus nervinis atque exsiccantibus percuratus fuerit, ut intra quatuordecim dies subsederit. Sed longe magis admiranda, imo stupenda prorsus videtur historia Centur IV. Obser. III. ex litteris IOANNIS DE BURGO deprompta, qua puer memoratur, ex cujus cranio post trepanationem ob pus intus latens, quod sub ipsa operatione cum impetu proruperat, institutam, membrana fungi instar eminuerit, quæ cum cohiberi, quo minus latius expanderetur, non posset, filo circumligato constricta atque resecta fuerit, ubi tamen brevi nova portio ad trium digitorum altitudinem

nem

nem succreverit, denuo refecanda, quod aliquoties iteratum fuerit, ut cerebri portio ad pugni magnitudinem excisa fuerit, ægro nihilominus, etsi negligentius tractaretur, præter spem convalescente, postquam reliqua cerebri portio paulatim subsedisset, callusque foramini innatus esset. Felices merito prædicandi, qui tam atroci malo correpti, tandem tamen medentis dexteritate, naturæ robore, ne dicam fato, adjuncta, ex eodem eluctantur; sæpius enim vel providissimam curam ob indicationum hic observandarum gravitatem irritam fore facile perspicimus; partim enim luxurians illa portio, quæ ad priores angustias reduci nequit, removenda est, partim vero subito nimis renascentia hæc, hydræ instar lerneæ, stamina coerenda sunt. Vti compressionem validam, ita pariter ligaturam, quæ tamen potissimum hic requirerentur vix ferre poterunt tam tenera cerebri vascula, ut sub ætæ partes putridæ corruptionis periculo non exponantur, ad quam illo tempore jamdum proclives esse solent hæ partes, ut vel sibi relictæ in eandem ruant. Hoc enim fato sæpius ejusmodi ægros interiisse binis tantum observationibus, ex pluribus, quæ hinc inde prostant, confirmasse sufficiat. Priorem Cl. KOENIG in Miscell. Nat. Cur Dec. II. Ann. I. Observ. 167. consignavit; dum post cranium carcinomate exesum, denudatamque & disruptam duram matrem, sensim e foramine ampliore reddito cortex cerebri tenui meninge adhuc ex parte obductus, prorupit, indiesque auctus pomi magnitudine extra cranium in conspectum venit, unde tandem ægra

D 2

post

post deliria sopore fatali correpta obierat: post sectionem, cerebrum in parte affecta corruptum & quasi sphacelatum apparuit, multoque pure viridescente repletum, cujus non parva copia etiam circa principium medullæ spinalis & cerebellum hæsit. Alterum a Cl. ANHORNIO copiose relatam in eorundem Ephemer. Dec. II. Anno IX. Obs. 174. notamus, ubi post lapsum pueri ex equo, indeque laesum dextrum bregmatis os, fungus ex cranio pertuso emerfit, primo digitum crassus, pollicem longus, qui per aliquod tempus exsiccantibus tractatus, parumve mutatus, tandem largius succrescere coepit, unde pulvere ex Euphorbio & alumine usto insperfo sublatus fuit; intra viginti quatuor horas vero alius ovi gallinacei magnitudine excreuit, in quo valida vasorum pulsatio percepta fuit, quem cum rodentibus frustra tentari cernerent, filo circa angustiore radice constrinxere, donec maxima pars cum insigni foetore tandem decideret, reliquiae corruptæ separarentur, quas tamen statim alius cinerice coloris, nucis juglandis magnitudine excepit, qui itidem post paucos dies sponte quidem subsedit, relicto insigni hiatus in substantiam cerebri penetrante, qui tamen unius noctis spatio totus nouo fungo oppletus fuit: donec tandem sub grauissimis symptomatibus quarto post acceptum vulnus mense interiit; quorum mentione prætermissa, interiorum solum cerebri, prout post sectionem deprehensa fuit, faciem adhuc commemorabimus; siquidem insignis pars de substantia cerebri ad basin ejusdem usque absumta cernebatur, ventriculi

cum



cum omnibus encephali internis meatibus pure insigniter foetente inundati, plexus choroidæi putridi, nigricantes & corrupti erant, inferiora cerebelli etiam inprimis dextro in latere sanie foetida consumpta reperiiebantur, quin imò cum medulla spinali intra vertebrarum specum pus descenderat.

§. XI.

Eadem fere nostri ægri fata fuisse ex historia sub initium enarrata patet, siquidem hic pariter pus copiosum ad ventriculos cerebri depositum, non eos solum cum plexibus choroidæis infecerat, sed medullarem substantiam ad basin fere vsque cranii in ichorem putridum conuerterat. Neque enim bonæ notæ pus in molli hac & friabili fabrica, tot tamen vasibus irrigata, & humorum copiosiori affluxui obnoxia, expectandum erit, inprimis si humores jamdum acriores, aliaue labe infecti fuerunt, sed potius inflammatione in ejusmodi ægris excitata loco legitimæ suppurationis funesta gangræna metuenda erit. Forte quidam læsos, in quibus magna etiam substantiæ cerebri pars ablata fuerit, melioribus fatis restitutos fuisse objicient, atque ad HILDANI experientiam, pluribus exemplis in Centur. I. obseru. 13, confirmatam prouocabunt, cui etiam recentiores Chirurghi Galli in suis Commentariis p. 310. scqq adstipulentur, qui prolixa de vulneribus cerebri dissertatione, illud sine certo mortis periculo varias sectiones admittere posse crebriorum casuum euentu docere, atque chirurgos ad tentanda in extremis periculis extrema

E

etiam

etiam remedia, præter spem sæpe feliciter cessura, excitare studuerint. At vero uti hæc felicis euentus exempla inter rariora potius & singularia referenda esse, quam ut similem successum ubique sperare liceat, ipsi fateri coguntur; ita non negligendum videtur discrimen, quod inter læsiones a causa externa inflictas, & puris generationem a causa interna intercedit. Si enim homines ceteroquin valentes, bonisque succis gaudentes, forte fortuna ita vulnerentur, ut dissecto cranio pars simul cerebri tollatur, lætiora omnino sperare licet, quoniam patente plaga remediis congruis accessus, puri vero liberior exitus, patet, atque blandis humoribus deperditum prompte restituitur: longe tamen deteriora secutura esse intelligimus, si malum a causa interna obortum fuit, aut ubi externæ etiam injuriæ præcesserint, ab hac tamen sustentatur, integumentis vero integris, vel exigua rima patentibus, aut exitu a fungo obturato, pus ibidem generatum intus occlusum detinetur, sicque temporis tractu acrius redditum profundius medullarem substantiam exedit. Quale exemplum in Ephemer. N. C. Cent. VIII. obs. 21. de carie ossis bregmatis & temporum dextri cum cerebri putrefactione, in scæmina, quæ antea ulceribus venereis laborauerat, refertur: atque non minoris momenti in eorundem Actis physico medicis Vol. IV. obseruat. 100. exhibetur; dum scæmina a contusione exiguum sub initium tumorem acceperat, qui vero post mensium cessationem in dies adauctus, & cum carie cranii conjunctus, demum ob pessimam inflammationem,

nem, quæ magnam vtriusque cerebri substantiæ partem corruerat, & pus foeditissimum intus cumulatam funestus extitit: vt alia nunc his similia taceamus. Quod si enim sub initium, quamdiu intra corticalem substantiam hæret, aut exiguum cerebri ambitum occupat, sua etiam functionibus cerebri integritas constat, latius tamen intra medullarem substantiam propagata, atque ad corpus vsque callosum, imo ipsam medullam oblongatam penetrans corruptio, tristissima profecto symptomata generabit. Oppressis enim aut arrosis staminibus, a quibus tubuli nervosi originem ducunt, sensuum pariter ac motuum turbas excitari necesse est; indeque vertigines, scotomias, deliria, soporosos atque paralyticos affectus, aut motus convulsivos nunc particulares, nunc universales, intus latentis mali gravitatem indicare, breuique interitum accelerare cognoscimus.

§. XII.

Non dubito fore, qui illud timidorum, suæque magis existimationi quam miserorum saluti prospicientium, consilium, *desperatos non esse attingendos*, probantes, nostrum etiam ægrum, tam grauibus malis correptum, suo potius fato relinquendum, quam ancipiti medelæ subiiciendum fuisse, iudicio ex eventu deprompto, arbitrentur. Verum enim vero, quam diu tumor hic sub tegumentis externis, quæ in parte capitis capillata præ ceteris partibus crassiora sunt, latebat, a quibus citum nimis eius incrementum aliquantum coercebatur, phænomena in eodem obuia non omnem spem felicitis successus tollebant.

Si-

Siquidem tactu exploratus, durus atque immobilis deprehendebatur, & tumoris cystici, vel peculiaris abscessus, qui haud raro & in capite obseruantur, faciem præ se ferebat, quales saepius optato cum successu illustris HEISTERVS extirpauerat. Hos vero sibi relictos non solum mole indies augeri, sicque pondere molestos fieri, sed non raro materia intus contenta acriori reddita, folliculo demum destructo, partes vicinas quoque corrumpere constat; & in nostro etiam pericranium partesque substratas nobiliores affici, sensus ille vertiginis non raro perceptus indicabat, hinc tanto magis ad promptam medelam, quæ vltiorem eius progressum sisteret, ferendam excitabat. Cum vero de cetero sensus satis sibi constarent, atque in motibus animalibus exercendis adhuc vegetus esset, & in ipsius tumoris exploratione grauioribus molestiss non perciperet, tam profundas malum radices egisse, atque ipsum cerebrum simul occupasse, & tam grauiter lassisse, nullo certo indicio constabat. Imo licet aliqua suspicio cranii forte ex parte corrupti oriretur, multiplex tamen experientia, quod huius etiam caries, licet & caluariam omnino perforauerit, menyngibus præsertim adhuc integris, feliciter correctâ atque sublata fuerit, in proposito confirmabat; et, si deterior etiam, quam indicia spondebant, interiorum status reperiretur, illud tamen simul intelligebatur, fonte mali non detecto illud emendari non posse, sed sibi etiam relictum in pejus certo ruiturum, cum tempestiue adhuc adhibita medela forte funestus exitus auerri posset. Quare merito grauissimis expertissimorum Medicorum atque Chirurgorum monitis obtemperandum erat, qui felicium præter spem etiam euentuum exemplis nos, in grauibus & interitum minitantibus casibus ad cuncta, quæ in artis potestate sunt, potius experienda, excitari volunt, quam ut omni auxilio destitutos deseramus agros. Quod si maturius ab iis, qui curam nostri antea susceperant, iactum fuisset consilium, feliciorum curationis successum expectandum fuisse nulli dubitamus.

Chir. 211, 46